Kat. Komp.
59978
BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
III Mag. St. Dr. P

...phi Medium panis dictissimus

Philippus Nerius.

~~Teol. 5341.~~

MEDIVM
PACIS
DIVINISSIMUS
PHILIPPVS NERIVS
FLORIDUS à FLORENTIA
Congregationis Oratorij
FVNDATOR
In Ecclesia Parochiali Sanctæ MARGARITÆ Virginis & Martyris
Ejusdem Congregationis ad Posnaniam
Assistente Nobilissima Auditorum Coronâ
Per.

M. IOSEPHUM CHOYNACKI, in Alma Universitate Cracoviensi, Philosophiæ Doctorem. interea in Academia Posnaniensi Matheseos & Grammatices Professorem.

DEVOTO ORATIONIS STYLO
PVBLICATVM
Anno quô
ReX Veræ MeDIIs saLVaVIt paCta SaLUtIs. 1734
Mense
Quô nitidus ✵norum ✵ percurrerat orbem.
Die quo
Et Vegetâ Sphæra VertUntUr protInUs Astra.

POSNANIÆ Typis Academicis.

In STEMMA
PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI.



59978

I.

Arte, celer telum, de terris Æthera ſcandit.
Dum venit ex Altis, omnia fauſta notat.
Indicat excelsâ certò; pennata Sagitta.
In Virtute Tua, quòd ſit Honoris apex.

II.

Terminus, opto Tuæ ſit recta Sagitta Salutis.
Hæc rigidam Lacheſim, non timet atq; minas.
Vulnera non metuit, nec peſſima fata, volando
Admittit, curſu diſſipat omne malum.

PERILLUSTRI
&
REVERENDISSIMO DOMINO
D. SEBASTIANO DEGORSKI

Juris Utriusq; DOCTORI, Notario Apostolico, CANONICO Cathedrali Kijoviensi, Decano Foraneo Sremensi, Præposito Domachoviensi.

DOMINO & MECÆNATI FAVENTISSIMO

MEdium Pacis Divinissimus PHILIPPUS NERIUS, pergrato Virtutum Candore, ac Summâ Nominis proprij excellentia, Cælum terramq; implens, dum luci Publicæ ex Umbris Academi exponitur, Tuo sub Heroico, quia SEBASTIANI Nomine, ut Electus ac Dilectus cordi, mentiq; Tuæ Ascetes, locum habere non dedignatur. PERILLUSTRIS &

REVERENDISSIME DOMINE DOMINE MECÆNAS GRATIOSISSIME. *Anni etenim revolutionē præsentis, notum est, almæ pacis indigere medijs, quæ aliter acquiri nequeunt, nisi per eximium, hoc in negotio Mediatorem* PHILIPPUM. *Felicia Jovis numerabantur sæculorum momenta, quibûs ad pacem capessendam optima dabantur Media. Tempus etiam modernum, á certá fortunæ Orbi Sarmatico faventis nec excluditur alea, nam* PHILIPPUS NERIUS *cunctos fatales favore suo est paratus dispellere casus. Nullum væ clamabit Polonia, Eam* PHILIPPO *ùt Medio Pacis protegente. Fideli vero dabis veniam Clienti, Mecænas Colendissime, quòd honorifico Nomini Tuo Medium Pacis* PHILIPPUM, *profunda cum veneratione proponat. Doctorali enim Tuæ Dignitati, teste Cælo, tanta exhibenda reverentia ac æstimatio, quantam merita, cum nobilissima morum exposcunt probitate. Pridem solennis publico ore intonat fama; Te pulcherrimum, constantiæ, honestatis, ac temperantiæ, sub glorioso* SEBASTIANI *nomine gestare Prototypō, ideo propter excellentiā virtutum istarum de optima laudis mereris adorea. Exinde maximus adaugetur honos, quòd plurimi virtutibus ad-*

jun-

junctā; sibi ad invidiam, Tibi vero in applausum gratulentur magnificentiam. Alijs Infulata dant majestatem tempora, alios heroica in altum Honoris evehit dexteritas, alios obryzo micantes ornant Coronæ, Te coronata cum benemeritis virtus, Virum omni pretio dignum, Polono præsentavit ac præsentat Horizonti. Festino lætus in Tui Nominis odorē, thura enim spirat Sabæa, liliatum in medio Virtutum explicat candorem. roseumq; in vultu depingit florem, quô Scholasticæ summopere alliciuntur apes, ut de ejus nectareo rore, melleum dicendi componant favum. Te Rosinum, ver Probitatis viride spirantem, Te benignum fas est appellare Perseum. Juveniles floridæ ætatis Tuæ gressus, Pòëticis firmâsti pedibus, id semper in memoriam revocando, neminem posse ad sublimia festinare, si illis careat. Castalios purpureo ore exhausisti latices, & adhuc sitisti, pretiosum literarum absumpsisti Penu, & sufficienter nondum Tuā exsatiasti orexim, ita tamen satiari voluisti, ut Te nunquam svavis erudiendi torqueret fames. Insuper augustum fontibus eruditionis, ita benè dulcorâsti Ingenium, ut multis in emolumentum, singulis foret in delicium. Quoties ardui difficultatum commovebātur fluctus,

toties ſecura; inter Euripi naufragia mentis Tuæ mãſit Cymba, dum ſubtili acumine facilius argumentorum quàm Neptunus tridẽte compeſcuiſti tempeſtatem. Copioſis Midæ theſauris, artiſticas præpoſueras Facultates, judicans majores á Pallade, quàm à Fortuna provenire divitias. Media cucurriſti Appiâ, ad Honoris culmina, quam Tibi probitas cum benè meritis comparârunt. Amæna fronte ita Librorum folia, ac Juris rimâſti Codices, ut liberum ad celſiorem Dignitatis gradum, qui Tuæ ex cõdigno debebatur Virtuti, haberes Paſſum. Cracÿ Regia ſceptra Lycæi, Signum Honoris Nomini Tuo præſtitêre, dum illud ſublimi Divæ Themidis ſolio admoverunt, & Te Laureatum Juris Utriuſq; Doctorẽ, publico ſoli indicârunt. Nemini tamen honor gratis venit, gemmas de Fronte ſudoris ſæpius legeras, ut Heros & Flamen coronatus fieres. Atræ eruditos calamos appoſuiſti ſæpiæ, ut Scientiarum ſplendore illuſtratus, lucidior, toti appareres Poloniæ. Nemo Te robuſtum pro cultu DEI zelantem, non videt Hectorem, nemo, circa Eccleſiæ labores ac enixam tutelam, non profitetur Atlantem, quia SEBASTIANUM. Silere ne ãneloquide beam, præcelſam Virtutum Tuarum majeſtatem: reſolve Mecœnas faventiſſime. Ego inter

ter utrumq; positus, mediam arripio viam. Probitatem si eloqui negligerem, certò censoria meæ erga Te propensioni appingeretur nota: si verò Te cunctis affabilem conticerem Tacitum non gratitudinis, sed primã reprehensionis à Tuo favore haberẽ causã. Præstabo quæ sunt præstanda, & publicabo, quæ sunt de Tuo Nomine publicanda. In omnium virtutum Medio verè Principem locum tenes, quia tam erga majestuosas Sponsæ CHRISTI Ecclésiæ ædes, quàm erga fideles pius persistis Clientes. Quidquid in debitam Deorum expendis reverentiã, virtute & labore collectam, dando non erogas, sed largiris fortunam, quam Tibi omni; celsi Jupiter Olympi, ne unquam detur vacuum remunerat plenitudine. Non unum absq; ira foves Irum, non uni Bellizario, magni ponderis distribuis obulos, ut eos Crœsos Tua protegente efficias Gratia. Sanè in hoc alios superare videris, quia multis ad placitum, plurimis ad affectum, singulis Te conservas ad Charitatem. Deum ubiq; præsentem, cum cordis revereris tremore, quovis in loco acsi ad Aras vivis Sacerdos, id nisi inter homines evitas, quod malè agere Ter Optimo Maximo displicet DEO. Iuris Divini tunc bonus approbaris Aristides, quum ad regulas vitæ Christianæ adamussim

 re-

regularis, id quôlibet meditaris momento, quod declinare à malo, & curare bonum demandat. Planiori adhuc verborum virtutes Tuas circumscribam emphasi. Illum Te submissio mea agnoscit Musæum, qui Purpuratæ Regio Rubicone Navi, tam diu adstitisti OPALENIÆ, quàm diu in Ternione Fratrum, Illustrissimos fluctuantis in turbido Reip: Polonæ non perspexeris Argonautas OPALENIOS. Tantum albicãtia Illustrissimorum RYDZINSCIORUM Lilia, florentem fortunatorum successuum porrigunt Tibi herbam, quantum Illorum Odori, ex Tuorum svavitate morum, eruditione, Virtutum Comitate, placuisti. Nec Gentilitius PROSCIORUM Samson, pusillanimem Tuam judicat virtutem, semper Te magnanimum, semper altum non elatum, ex erudito Illustrissimorum NAVITARUM regimine extollit Chironem. Quod olim strenuus Julio Cæsari Tribunus, finito prælio, infixas scuto, quo se defendit, monstraverit sagittas, hoc Tibi Indiges Tuus, in Sacrato corpore expressit dum Tuam Gentilitiam propriis telis annumeravit Sagittam, denotans Hanc Tibi esse Honoris metam. Non tam Phæbo ex pharetra, Marti ex acinace, Mercurio eloquenti ex caduceo, Palladi ex ægide, quàm ex

ce-

celeri Divæ Themidi Sagitta fit majeſtas. Certè Gentilitia Sagitta animata eſt quæ toties per Optimatum non violādo viſcera, volavit, ut Illorum ſecreta nôſſet, atq; ad nutum iviſſet ſine ſtrepitu. Illuſtriſſimorum TARŁONUM *Bipēnis, ad Cathedrã Kijoviēſē mõſtravit Tibi Appiã, ex qua nõpoſtremã obtines Dignitatis majeſtatem. Decanum elegit Te amor Myſtarum, quorum affectus ita feris, ut ei ſemper in ſuis Cordibus præſtent triumphum. Sagittarius ſignum cæleſte eſt, quem luce ſua, annuatim percurrens condecorat Phæbus, & quaſi arcum ſagittaſq; luſtrans, Jovē, Mercurium, alioſq; Planetas, aſſeclas in hoc ſigno efficit, ſe vero Decanum illius, juxta Aſtronomorum ſenſum conſtituit. Hæc Tibi prompte reſpondet Homæoſis* PERILUSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE, *levas manus ad Cælos ùt ſagittas, Sol verò myſticus, non annuatim ſed indies in eis deſignat conſiſtentiam, Te fortem contra Hoſtes animæ inſtituens Heroa, ac tela illorum, in Tuam conſumens Victoriam. Inſuper tantum gravitatis Tuo accreſcit Honori, quantum in ſe, ingens virtutum compendium, continet Excellentiæ. Nomen Tuum ideo ſummo titulorum genere dignum, nam cuncta ſublimia, propria connotat etymologia. Ergolu-*

na-

natam; Gentilitiæ Sagittæ flecto in arcum cervicem, ut triumphalem votorum attingat metam: acri molestæ offensionis nunquam hebetetur lapide, ad celsum maximæ prosperitatis omni momento properet colossum, imò illi infracto adhæreat umboni, qui nulli fatorum subjacet impetui, ita intimo voveo corde.

Author Operis.

ORATIO.

Seditiosa armorum animorumq; potentia, victrices triumphantium Heroum clavæ, imperatrices Enceladorum vires, admirandæ rerum terrenarum Gygantomachiæ, an potius, illæ prægrandes Gygantum machinæ, Herculea, Atlanticave firmitas, ut nunquam extra periculosam bellorũ minime cuivis bellorum, seditionis ac tumultuum existunt orbitam, ita raro optimum jucundæ pacis conservant medium. AA. Vitalem etenim vix humanum genus incipit spirare auram, aures illo instanti ad cuncta percipienda erigit mala, vix palpebras ad communem singulis vibrat lucem; illico latebras callidè quærit occultas, in quibus truces ac nefarios commode enutriat Mezentios. Nondum balbutienti lingva bene sonantia exprimit verba, & jam molesta verbera aptat, adhuc rectum ad sidera ignorat tollere vultum, & hoc in puncto ultionem, dolos, malesana

hypocritarum conſilia, temerario concitat auſu. Periêre decora mundi Ilium cum Troja; periêre; ſolidiſſima ſolo æquata Pergama, infracta Thebarum corruêre mænia, perauguſtum bifrontis Iani Pantheon ad anguſtum venit lapſum, præcelſa Athenarum majeſtas, turbido hoſtium multoties conturbata impetu, deplorandam ſui verſa in ruinam, quòd peruerſo Optimatum fuerat ſubdita imperio, quòd verſipelli Momorum ore, quòd aſperis Martis belligeri minis, quod armatis cruentæ Bellonæ legionibus, depreſſa, debellata, ac concatenato erebicæ Eumenidum invidiæ nexu conſtricta permanſit. Urbiũ caput & orbis Roma, Syllam contudit impium, itidemq; invidus Sylla inclytam devicit Romam, utriq; tamen fatalis triumphi de Romuleis fuerat origo ruinis. Ille, ille, nefaſtus inter ſeptem orbis miracula poſitum, Epheſinæ Dianæ templum combuſſit Heroſtratus, aſt quo de fonte impius homo, tam abominabile hauſerat ſcelus, ira vanaq; nominis ſui, in poſterum effecit dilectio. Ita quotannis rerum ſeries, mundi undiq; ordo mutatur, nulla ſors in tranquillitate perennat, nulla felicitas ærumnis caret, mundus immundus, incauta vitiorum appellatur cavea, errorum caverna, inſidiarum abyſſus, diſcordiæ fomes, bellorum cauſa, virtutis peſſulum imò effuſus in omne nefas dicitur Oceanus. Apage lynceæ Catonum pupillæ, minimam exceſſuum in Sanctiori Aſceta PHILIPPO animadverſuræ notam, vel atram criminum reſpecturæ umbram, nec ſignum malitiæ in Diviniſſimo adnotabitur NERIO, purus ab omni ſcelerum labe exiſtit PHILIPPUS. Cedite hinc tenebræ Atticæ, cedite! Sacer PHILIPPUS grato virtutum ſplendore adornatus, triſtes vitiorum diſpellit nubes, ac rigidas confundit noctes. PHILIPPUS Boni communis Almæq; pacis Propagator, benignior autumaretur Iupiter, ni differentiam honorifici haberet Nominis. Abeſte hinc ſceleſti in vita Cethegi, abeſte! abominabilem Diviniſſimus NERIUS, nec eſt imitatus,

nec

nec veſtram; nactus regulam morum. Procul nefandi Syllæ Scyllas ac voraginem doli doloriſq; etymo ſuo exprimentes, pridem PHILIPPUS tranquillitatem cum modeſtia, modeſtiam cum conſtantia, hanc cum pietate adamavit, pridem refloruit ut olea pacis. Diſtricti præliantis Bellonæ mucrones, cataphractæ atrocis Gradivi cohortes, criſtatæ Herculis caſſides, amplius plorantem non terreatis populum, adeſt PHILIPPUS qui pro Domo & Aris ut reſpondere; ita ſtrenuo certare paratus animo. Ecce benevolus Pater NERIUS an inſolentis Pelagi populiq; Domitor Nereus, ille fraudulento modulamine enecantes compeſcet Syrenes, ille Syrtes, ſcopulos, Acroceraunia, privantes vitâ pyratas; quomodo vitandum edocebit. Irritamenta malorum, copioſæ fortunati Polycratis opes, inſignes Midæ opulenti divitiæ, pretioſis, adamantibus, obryzo, maximo monilium pondere onerata evaneſcite æraria! Vos, errores ac terrores, pericula cum piaculis, fatales motus cum metu, favores cum furore, mortem deniq; cum Marte contrahitis, conducitis, commutatis. Eheu regna labuntur, incolæ mundi lugent, urbes diluvio lachrymarum immerguntur, miſta ſenum ac Iuvenum denſantur funera, momenta, horæ, tempora dies anniq; mærore pleni, eheu nulla ſalus bello pacē nunc poſcimus omnes. Quando mæſtos hilarabunt gaudia vultus? quando citharædus Arion, cor vel conſternatā mentem ad publicos animabit applauſus? eo temporis intervallo, luctuoſæ terrigenarum voces lætum canent celeuſma, quando PHILIPPUS univerſale pacis promulgabit inſtrumentum. Diſplicuit quondam amplæ vaſtatori TrojæMenalao in laudanda vivere tranquillitate, maluit afflictos terrigenas lugubri nemini parcentium Parcarum contegi levidenſa, quam Toga pacis, maluit vires eorum intra fatales langvere ſarcophagos, quam illis ſubſidium ferre, maluit ſeditioſus fieri, quam quiete imperare. Neq; Buſirides humani ſangvinis heluo, neq; crudelis carnifex

Nero aut oppreſſor Gentis Quirinæ Catilina, pro immani tyrannide, inquietudine, æviternam apti ſunt famam, infames potiusdicendi homines non famoſi, magis luctæ cum luctu avidi, q̃m victoriæ, non tam mites, q̃m ſeveri, ſæpiusrigoris q̃m regiminis inquirentes. Tanta eſt rebus in cunctis alteratio, tanta cujuſvis naturæ viciſſitudo, ut maxima quævis minorentur, præcelſa ſubito caſu ruant, ſplendida Cimmerijs obvelentur umbris. Imò nihil adeo firmi in vaſta univerſi excipitur plaga, quod labile flebileq; nõ exiſtat, nil glorioſi cernitur quod vituperabile nõ ſit, nihil tranquilli perſpicitur, quod perturbationes nõ moveat ac tumultus. Solus PHILIPPUS non modeſtus at modeſtia, non honorificus, ſed laus honorifica, non tranquillus, aſt ſola tranquillitas dicitur nominatur. Ergo PHILIPPUS medium pacis appellandus. Medium Te Pacis Sacerrime Pater PHILIPPE quum ulterior dictionis meæ promovebit progreſſus, medium reduc eum in tramitem, ne à condignis tui Nominis recedat encomijs. Evidentior medij propoſiti noſcetur proprietas, ſi mediam benevolæ attentionis faventiſſimus AA. præbuerit auram, quam humilis dicendi expoſtulat ſtylus.

PErſpicax Sophorum animus, illud concordi voce & ſenſu approbat dici medium, quô mediante, innumera quævis acquiruntur. AA. Illuſtriſſimus etenim Titan, nunquam ad ſublime veniret Apogæum, ſi celeri in progreſſu, à proportionato recederet medio. Principes minorum ſtellarum Planetæ, minime propriam ſumma in auge viderent conſiſtentiam, niſi medios moverentur per tramites. Moleſtos luna deſcribens motu labores, multaq; alia vago temone meantia ſidera, nitidos communicatæ lucis in plana terreſtria non ſpargerent radios, ſi medijs auricomum proxime Hyperionẽ non currerent vijs. Plane quo difficiliora ſtellatum Firmamenti ſolium minoribus Cælorum ſphæris indicat mo-

movendi anfracta, eò faciliora ne paleâ quidem à rectissima aberrent linea, præponit ac proponit media. Hinc à Summo Olympi fastigio ad sublunaria mentem dirigi est necesse. Leviori quondam Icarus super æthera levatus pennâ, supremam stelligeræ Ædis dum manibus vellet palpare superficiem, mediam in cursu non servando semitam, adeo in præceps violento corruit impetu, ut Icareum nomine suo fecerit Pontum. Periisset rabida Minotauri absorbendus fauce Theseus, tortuosis Labirynthi irretitus laqveis, ni ductili auxiliantis Ariadnæ filo; in medios reductus fuisset calles. Cucurrerat felix ad Coronam stadiodromus Lesco secundus,cujus secundus nec factus fuisset Candidatus, nisi medium licèt arduum, arripuisset iter. Dulci nectare stillantes Heliconis undæ, à recto non deviant medio, novenarius Musarum chorus, medios Apollinis contemplantur sonos, Tulliani flores, Jucundæ Hortensiorum rosæ, eò svaviores spargunt odores, quò elegantius explicantur ac pullulant in medio, Eximia Parens eruditorum Stoa, non prius docta permisit aggredi certamina, donec modum conseqvendi media, proba incepturis jurgia, monstraverit Anaxagoris. Archivum Sapientum Peripatus, raro majores studiosis Achillibus tradit concertationes q̃m de medijs: aliter fluere non novit Eurippus, medijs nonnisi undis. Insuper Helespontus flumina, fontes,& omne animalium genus,optima vivendi servat adamussim media; nam quodcunq; bonis non inhæret medijs, illud nec Ditis opum, nec fortunæ Polycratis, nec Particeps ætatis Nestoreæ appellandum. Hactenus mundana proclamavi, nunc humili dicendi sensu, ad sacerrimum Patrem venio Philippum. Illud est Medium pacis PHILIPPUS, quod de purpureo Neriani sangvinis Rubicone, primâ desumpsit originem, & tunc Romano; eò meliùs innotuit Tyberi, quo luculentius latepatentes Natalis fluvij margines, rubeis NERIANÆ Gentis circumduxit lineis.

 Maje-

Majeſtuoſa Deciorum nomina, laudanda Claudiorum Domus; illuſtris Octaviorum propago, licèt ut octo Conſangvinitatis popoſcerat gradus, gradus tamen illi, plurimis obliquitatem, & aptitudinem ad illicita comparârunt: elegans vero Prædeceſſorum PHILIPPI in virtutibus amuſſis, mediam in orbis exortum determinavit PHILIPPO Appiam. Longè olim diſtēſa Gentis Appianæ arbor, Deorum ferè ſedem, ac vertice alto excelſum tetigit Olympum, virentes ad; imò ultra mare diſtenderat ramos: quid inde? brevi hæc florida aruit arbos, frondes ejus vitioſis correptæ ſtolonibus, non diu oleagineos in medio pacis prætulerāt ſurculos, ſæpius in cornos & ſpinas degenerârūt, vites cū palmitibus figurare nequeūtes. Celſior fuerat; etſi parūper minor, Nerianæ Proſapiæ plāta, hæc virtutū vigore indies rigata, crevit de pumilla in provectiora virgulta, ex virgultis in frutices, de his in Cedros, de Cedris in Libanos, de Libanis quoque in amæna refloruit Viridaria, quorum medio, Dijs etiam jucundum fuerat immorari. Hac de ſtirpe ſanctior proceſſerat PHILIPPUS, quæ poſt; adeò patula ſpatioſe & ſpecioſe explicuit ramenta, ut maxima totius Univerſi eſſent ornamenta. Patriā PHILIPPI ſi quæritis: Florentiam dico? illa florentem Bono communi Cyneam PHILIPPUM, an dulci eloquio Paternos Lares defenſurum Demoſthenem, expoſuit, edidit, publicavit Philippum. Lugentes Quirinæ Gentis incolæ, profundo lachrymarum immergebantur Ponto, adeo crudeli tyrannorum manu, de ſubditorum collis effuſo; ut domorum fundamenta, pacificas Iani ædes, auro laminiſq; tecta Palatia, & urbes & oppida, tam horrendum ſine faucibus abſorbere videretur diluvium. Quid mæſti Romæ totius egêre coloni? ecce madidis pupillarum, ſpongias implêrunt guttis, lamentati ſunt toto ingemuêre corde, manus flexêre attoniti, vultus mærore pallidos effecêre, præ dolore vertiginem cerebri ſenſêre, imò mortem

ſemi-

ſemivivi opperiebantur, ut non viverent, medium tantummodo ſalutis ſolatijq; cælitus datum, ingenti cum deſiderio exorantes. Invictiſſimus cæleſtium ac terreſtrium Rex DEUS Exercituum; rationales, nimium trementi fatorum turbini expoſitas videndo creaturas, triſtia in læta; bellica in tranqvillà per medium Pacis PHILIPPUM commutavit intervalla. Applaudit Romanus Horizon, communis geſtit populus, Principes, Laticlavij, Scipiones, Epaminondæ, ſummopere lætantur, quòd olim Genethliaca NERII dies,ſplendeſcenti nõ ſævientis Saturni at benefici Iovis illuſtrata Phænomeno, medium pacis toti Univerſo manifeſtavit Philippum. Felix anni circulus, qui ſacris PHILIPPUM involvit cunis, Gangetico pulvere menſuranda hora, quâ in arena viventium ſteterat PHILIPPUS, aurora candido fortunæ notanda calculo, cum qua in ſublunarem PHILIPPUS compagem eſt exortus. Fortunata incunabula,in quibus medium Pacis quievit PHILIPPUS. Majores pulcherrima dotati ſorte,qui tantum edidêre Natum. Proſpera Lucretia Mater,quod eam precibus à Cælis lucrata fuerit progeniem, quæ Eccleſiæ ornamentum, Civibus amor, egenis gazophylacium, mæſtis ſolamen, inquietis tranquillitas, turbatoribus medium pacis eſſet futura. Felix juvenis PHILIPPUS, viridem Hippolyti agens ætatem, primos dierum ſuorum exortus, à Mari Gratiarum provenire didicit, prima á ſole Juſtitiæ tempora, novus in ſanctitate Archimedes numeravit PHILIPPUS: nulla tranſivit umbra noctis, quam æſtuante in in medio cordis flammâ, non illuminâſſet NERIUS, nulla præceſſit diei linea, quam purpureo amoris erga Superos; Divinior Appelles PHILIPPUS non depinxiſſet colore, nullum horarum præterfugit momentum, quo caſtior Aſcanius PHILIPPUS, mirâ mentis elevatione, ideam puritatis MARIAM, non fuiſſet contemplatus, nullus literarum ludus, aut gratior PHILIPPO componendi fuerat

ſyllabus, quam Alpha & Omega, nulla ars placidior, arte placandi placendiq; DEO, nulla pulchrius PHILIPPO ſtudendi arriſêre præcepta; quam Decem. Non prius NERIUS Caſtallios candido ore guſtaverat fontes, donec fontem omnis Gratiæ coluerit CHRISTUM. Peramænum Tulliani campi, nunquam aggreſſus medium, donec prius de perfectiſſimo omnimodæ Virtutis Medio, ſcilicet DEO, profundos vaſta mentis indagine formaverit conceptus. Propoſito ſi aliqua ab acuto PHILIPPI ingenio, proponenda eſſet, maxime de inveniendo, propriæ proximiq; ſalutis Medio. Theologica PHILIPPUS tunc excellenter perſcrutatus arcana dum Attributa Omnipotentiæ Dei, ad medios id eſt bonos, revecârat ſenſus. In Divæ Themidis Areopago, illa PHILIPPO maximè placuit regula Juris, quæ mores candidos, litem ſedandam, concordiam, pacemq; ſervandam edocuit Auditorem. Tantam docta Virorũ Athenæa; adeò in juvenili PHILIPPO admirata ſunt artium peritiam, ut quem Diſcipulum viderunt, optimum nominavere Magiſtrum. Quomodo ergò tam præclarum in virtutibus Virum, ulteriùs lingva enarrabis? citiùs magni exhaurirentur latices Nili, aptius in minutas Pelion athomos, tenebræ in lucem, aurum in rude metallum chalybes in ductile electrum, corvi in cygnos, columbæ in aquilas, muſcæ in elephantes, ſpinæ in roſas, urticæ in violas mutarentur, & merita ſanctioris Ascetæ PHILIPPI, vix condignæ Laudis initium haberent. Virtutes Nerianæ non ſunt ita arctæ, ut in nucis claudantur putamine, iſtis nec Ilias Homeri, nec ampla Maronum Æneis, nec Liber Faſtorum ſufficit, nec laudatores Plinij. Annis imò ſæculis opus, ut encomiorum PHILIPPI poſſit haberi compendium. Non multûm Oratorijs indiget coloribus, quem purpura virtutum exornat, aliena nunquam intuetur ſidera, quem ſua virtutis illuminat Claritas. Auro cedroq; notanda flo-

florenti juventâ inclaruit Mundo Zelotes Honoris Divini NERIUS: at longè præstantius majori ætate exhibuit Universo PHILIPPUS Probitatis incrementum dum teneritudini ejus gravior morum successit Comitas. Celsiorem Adolescentiæ, PHILIPPUS venerat ad gradum, in hoc modum sive Medium vivendi, diligentissimè aggredi intendit, carum Cælo hominibusq; inquirit statum, mundana aspernatur crepundia, opulenta Petilianorum odit gazophylacia, aureos Luculli respuit Panes, nefandos Paridis lusus contemplativâ reijcit mente, luxum Vitellij non sine luctu prætereuntem vilipendit, illa solummodo PHILIPPUS, enixo animo capessit delicia, quæ æviternè; non sinunt delectare, eum reqvirit Thesaurum, qui degit absq; defectu, illis vult frui convivijs, quæ fame ac fastidio non abundant, ea anhelat exuberare lætitiâ, quæ sine mærore perennat: hac bysso ac purpura amiciri exoptat, quæ absq; dispendio vitæ, emitur absq; rubore. Tanto Cælites PHILIPPUM sunt prosecuti honore, qui nullam illusionem, contumeliam, parat atq; contemptum. Iam ergo PHILIPPUS in optimo vitæ ulterioris quievit Medio, sed Medium pacis, Medium probitatis, quomodo inveniendum, insomnes ùt alter Cleanthes meditando consumit noctes, corpus affligit salubres extenuat vires, ut Vir perfectus in Medio virtutum sistat PHILIPPUS. Benè est sacerrime Athleta PHILIPPE, quòd Medium salutis, solatiiq; aggrederis, Medium namq; tenuêre Beati. Quoties alacri passu Sacrata Infinitæ Sapientiæ invisit Conclavia, toties medios ad probitatem Divinior PHILIPPUS non dereliquit tractus. Sacra MATER Ecclesia, numerosa in PHILIPPO videns probitatis augmenta, eum firmum brachij proprij Atlantem, imperterritum contra hæreseos monstra Herculem, erronibus in labiryntho peccati hærentibus Manuductorem, elegit, constituit PHILIP-

PUM. Obtemperat alacriter mandato Matris purus Mysta; munijs promptè respondet, & quæ susceperat, novus Alcides sine molestia, onera discit bajulare. Videndum erat, quantùm pro cultu Dei zelavit, quantũ pro integritate Patriæ; indefessus invigilavit Argus. Sæpius litabat Hostiã,ne hostes cũ lite Regnorũ expugnarent Ædes, eò fervidiori usq; ad triclinia Polorum, elevabatur Spiritu, quò invidior infirmum, infimumq; terricolarum genus violavit, ceu ardore suo ùt Vesuvius ira succendit hostilis. Tantũ PHILIPPUS pro Universi Bono sudavit & alsit, quantùm humanæ nunquam poterant eniti vires. Sane ut convenientiùs Medium pacis in posterum nosceretur PHILIPPUS, pro panoplia contra turmatas erebi phalanges invictissimo Triumphantis CHRISTI armavit se trophæo, pro pyrobolis, precatorios contra stygium Ducem, jactitabat globos, pro pyrio pulvere, inexstinctas Divini Amoris, adversùs insidiatorem animæ, concitavit flammas. Lusit in humanis Divina potentia rebus, rigorem pro vitijs extendendo: lusit suspiranti voce NERIUS, ut Autor Pacis ferientia,qvæ miserat pro delictis flagella,ab anxijs terrestris hemisphærii removeret habitatoribus. Exultet septicollis Roma,Cælis vicino culmine,Divinum adoret NERIUM,redolentes in heccatomben colligat Florentia herbas, quòd PHILIPPO Protegente,innumerabilia à Cælis obtinuerit beneficia. Concurrat hùc egenorum cætus, quem PHILIPPUS liberali affatim dotavit manu, & tunc ingentes censuit possidere opes, dum inopes, ab insigni eliberavit calamitate; tunc omnia habere ratus, dum esset exhausti Possessor ærarii. Novit NERIUS, dissolutos unire animos, alios ad concordiam, plurimos ad charitatem animando. Rebelles litigantium lingvas, mussitantia Aristarchorum digitô compressit labella, nulla contentio, nulla pertinacia, Mediante PHILIPPO dominari ausa. Sistite bini in tutelam

PHI-

PHILIPPO commissi adolescentes, dicite quàm plurimū bonitatis, à Medio Pacis PHILIPPO derivastis. Vos olim insolentia, monitis regiminiq́, Divinissimi NERII recalcitrare fecit, & qvum ab effrænato NERIUS cohibere nequijt animo, cohibuit spumantis Palagi procella. Jam vitam unius vestram, extrema fatorū in mari vexârunt pericula, imò mors surgens cum fluctibus stabat à tergo, dum multùm à littore remota mergeretur ratis. Quid desperabundus operatur tyro, subitò abligurientibus consumendus vorticibus: en auxilium Peroptimi Magistri suspirijs gemituq́; invocat: aderat eo in puncto periclitanti Ascanio, vivens adhuc in terris PHILIPPUS, ac de turbido insolentem juvenem naufragio, dextera sua extraxit, tristem ululatum in festiva acroamata, crudeles fatorum eventus, in Medium Pacis perituro mutavit Ganymedi. Tremenda Regum ac Principum Majestas, venerandæ Dynastarum dibaphæ, culminantes magnorum Procerum Curules, ipso tinnitu mortalium corpora perstringentia Gradivi arma, bella ciere ignorârunt, PHILIPPO ùt Medio Pacis imperante. Aureum Saturni sæculum, illis redijt Provincijs, fortunatiora Neruæ annîs crevêre tempora, feliciores Fausti momentîs numerabantur Romæ dies, quando Medium Pacis NERIUS, toti inclaruit universo. O vitam inclyti Patriarchæ vitam similem Angelicæ! o mores! moribus Cælicolarum non dissimiles, Virtutes candore ipsô pulchriores. Verè PHILIPPUS, Angelus in terris dicendus fuisset, si corporea caruisset substantiâ. Attigit NERIUS omnimodæ perfectionis Medium, nunquam extrema vitiorum attingendo. Placuit Cælesti Medium istud Hierarchiæ, quæ indies in eo visitandi gratiâ stitit, debitum præstando homagium, placuit primo rerum Mediatori CHRISTO, Hic nullibi gratiùs immorari elegit, quam Medio Pacis PHILIPPO. Castissima supernæ Jerusa-

rusalem Pandora MARIA, ceu Sanctior Polaris Parnassi Polymnia, nunqvam svaviori vocum recreabatur modulamine, qvàm media, seu proportionatâ Chelys in corde PHILIPPI instructæ resonantia. Tandem Liliata maturescente Virtute refloruit in PHILIPPO Senecta: isti toties Serenum arrisit Cælum, qvoties albicantes de ore PHILIPPI, tanqvam nobilioris Persei in Encomia CHRISTI pullulavêre rosæ. Laudanda temporum momenta, qvibûs gemmantes arborum sursum levantur rami, & virentia latè diffunduntur folia. Sed una ex parte beata appellantur, alterâ nomen illorum crimen esto: istis freqventer furentes concitantur Euri, feroces scintillant Planetæ, fatalia incendentes Parrhælia. Nitidus Titan benignâ totum Universum exhilarat luce, sed simul occidit. Extra paradoxum est, illa; quæ indies moventur, repentinæ subesse mutationi. Fertur rapidis Gens hominum obvia fatis, vita citato properat cursu, volucriq; die. Ah fatua Fata dolenti incusanda voce: tollitis depontanos de Medio vitæ Nestores cum Anchisis, nulli viventium locum Æternitatis designando. Vixit PHILIPPUS absq; nævo, vixit candidus Olor, absq; interno fuco, pijs celsum pertingens vocibus Olympum. Cecinit tamen tristi funera voce, è media regione Viventium, longinquas migraturus in oras. Notum est, benevolos ecclypsari Joves, solemq; deliquia pati. Passus PHILIPPUS omnibus congenitum mortalitatis vulnus, verùm id modum vivendi PHILIPPO præparavit. Lugendum namq; de terris exilium, auxilium æternam porrigit ad Patriam, periculorum quæ nimium premunt extrema, optimum felicitatis inducunt Medium. Somno non morte vitam Sanctior commutavit Ascetes, Probitas enim cum benè factis periculosam infortunij excludunt aleam. Vivit superstes imò perennat; in Medio Pacis PHILIPPUS, prosperitatem cum securitate, fortunatos sine cæde annos, Universis

mundi propagaturus incolis. Vivit PHILIPPUS nec mori valuit, incolumitatem & vitam plurimis præstando. Ægra Hippocratis medela, inutiles Galeni herbæ, periculosum Æsculapij comprobatum est recipe. Solus PHILIPPUS innumeros à torquentibus eliberavit doloribus patientes. Sufficiat unus pro millenis, BENEDICTUS tertius decimus, Pontifex Maximus singulariori Patrem NERIUM adorans cultu. Presserat Benedictum summæ bonitatis Papam, insperata fati jactura, vulnera non hostili manu, sed dirutæ in fundum ædis casu data, totum Pontificis ita debilitârunt corpus, ut non vivum; sed semimortuum censeretur. Quid ad vulnera Pontifex, pharmaca detestatur, balsama non admittit, unde sàlus speranda, minimè apprehendit. Dilectum nonnisi arripit PHILIPPI Prototypon, huic dulcia imprimit basia, temporibus apponit, vulneribus admovet, & sanatur, absq; vulneribus absq, dolore. Ergo incommodorum nomina Commodorum oblivioni dentur, nefanda Domitiorum sileat sævities, impia Diocleciani nec memoretur tyrannis. En PHILIPPUS alter Æmilianus, cujus imperio, impacifica; tranquilla tempora fient; Peri Epeu callida arte Trojam devastans, PHILIPPUS & flamen & Heros, nil præter triumphum nil præter almam instituens pacem PHILIPPUS NERIUS purior est Nilus, à quo nectarei bonitatis dimanant fontes, PHILIPPUS verior Polus, Trigonocratores procul removens maleficos. Re infera, PHILIPPUS NERIUS, Princeps Polonæ felicitatis, bonum futuræ Pacis nomine suo expandens omen. Date tela, scandite mænia bellatores, PHILIPPUS fortibus paratus resistere viribus, semper Nomen Manebit, PHILIPPI Medio Pacis inhærent. Consurge, consurge langvens Polonia, ad Patrem recurre PHILIPPUM: Medium Pacis est, te mæstam non dedignabitur consolari. Vestra hîc Emeritissimi Sacer-

rimæ Congregationis PP: reſplendet in PHILIPPO claritas. Domus veſtra Angelorum Colonia, Cælitum Chorus, Cæli ſuburbium, Virtutis gazophylacium, Fidei Præſidium, ſepticollis Romæ ornamentum, Regia Sapientiæ, Orbis Delicium, ac Religionis Fundamentum. Elogia ampliſſimæ Domûs veſtræ non extendo, ſatis magnitudine ſua Medium pacis PHILIPPUS infinitam laudum veſtrarum metitur majeſtatem. Votis non encomijs certare cupio, precando, hancq; votorũ ponendo Cathegoriam, ut Medium Pacis PHILIPPUS, nulla fatorũ adverſitate Veſtrã permittat turbari vitam, claros niſi Eam, magnæ proſperitatis, dies edoceat intueri. Terminum dicendi de Medio pacis PHILIPPO aggreſſurus, Te omnis alloquor Sarmatia, plurimum homagij Sanctiori Harmodio cenſeo te debere PHILIPPO, Hic pius Pater Lares veſtros & Aras, à periculoſis fatorum tegit, protegitq; extremis. Primus ante Regis Regum Majeſtatem Vaſallus ſupplices extollit voces, ne terrigenæ terrore graſſantium afficiantur bellorum. Applaude Quirina propago: applaude Polonia, quòd tanto viges ſub Viro, qui ſe Myſtam ſimulq; Xenophontem exhibet cuicunq;. Amplius ſæva Cybele non concitabit furorem, ceſſabit execrabile Brontum Steropumve robur, quæ nunc proſpiciuntur in turbido in ſereno certò certius videbuntur. En Appius Cimon & Tullius præſto adeſt NERIUS, exoptatam in manu Pacem, unanimem in lingva conſenſum, æqualem in corde dabit concordiam. Ergo Sacerrime Pater PHILIPPE perenna & dominare, præbe ſana ad pacem capeſſendam Conſilia, Status Regnorum, Senatumq; uni, Urbibus præſid. mæſtos ſolare, Petri Claves ac Sceptra Cracij tuere Lycei. Apertam Poſnæ Januam, ab impetuoſis fatorum defende incurſionibus, & ita non ſine cauſa ab Univerſis nominaberis Medium Pacis

PHILIPPUS.

XX. l. 18.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0024324